In Dei Filio ſibi dilectis RR. Adm. PP. Prioribus Provincialibus, Definitoribus Generalibus, & Electoribus in Capitulo Generali Ordinis Prædicatorum.

FR. VINCENTIUS MARIA FERRETTI

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR,

Ejuſdemque Ordinis univerſi humilis Vicarius, & Procurator Generalis, ac Servus

Salutem.

CUM paterno Reverendiſſimi Patris Fr. Antonini Bremond funeri juſta, qua potuimus, pietate perſolviſſemus, vobiſque publicis litteris ſignificaſſemus acceptum ex ejus morte dolorem, in eam continuo venimus cogitationem, ut quæ ad eligendum novum Magiſtrum Ordinis pertinent, ſummo a Nobis ſtudio, ac diligentia curarentur. Quod ut fieri feliciter, apteque ad utilitatem communem poſſet, nullum certius Nobis, opportuniuſque conſilium viſum eſt, quam ſi totam de Comitiis rationem ad arbitrium, voluntatemque BENEDICTI XIV. Pont. Max. referremus. Atque expectationi quidem mirifice occurrit Familiæ noſtræ amantiſſimus Pontifex, qui cum Nos ſingulari, ut ſolet, humanitate complexus eſſet, ad ſe delatam de Comitiis curam ſuſcepit, perpenſiſque ſumma, qua præſtat, prudentia momentis omnibus, quæ ad ejuſmodi deliberationem ſpectarent, illud tandem decrevit, edixitque, ut proxima Generalia Comitia Romæ peragerentur. Sic autem ſtatuendi eam Optimus Princeps cauſam eſſe dixit: cum jam nonnullis, quæ ab aliis Ordinibus habita ſunt, Comitiis non ſolum interfuiſſet ipſe, ſed etiam præfuiſſet, nolle ſe hanc amoris, paternæque curæ teſtificationem Ordini Prædicatorum deeſſe, quem ſemper ſummo exiſtimationis loco habuiſſet, maximaque benevolentia proſequutus eſſet, cujuſque perpetuo defendiſſet, confirmaſſet, auxiſſet amplitudinem, & dignitatem. Quare ut egregiam, continentemque erga nos omnes voluntatem publica hac etiam ſignificatione oſtenderet, velle ſe, ut Ordinis ſibi gratiſſimi Magiſter ipſo præſide eligeretur. Quibus ex rebus quantum in nos Pontifex Maximus conferat benignitatis, facile quiſque veſtrum intelliget, cum per ſe ipſa demonſtrent, eum non modo commodis noſtris proſpicere, ſed ad illa etiam curas omnes, cogitationeſque convertere, quæ ad Ordinis decus conducant, & ornamentum.

Itaque voluntati Sapientiſſimi Pontificis obſequuti, auctoritate Apoſtolica his noſtris litteris Capitulum Generale, quo Magiſter Ordinis eligatur, Ro-

Digitized by Google

Romæ habendum die quinta Junii , quod erit pervigilium Pentecoſtes ſubſequentis anni MDCCLVI. indicimus , & denunriamus . Præterea ſingulis, quibus ſuffragii ferendi jus eſt , edicimus , ut idoneo tempore Romam veniant. Quod ſi cuiquam gravis fuerit cauſa, quamobrem ad Comitia non accedat, eam Nobis indicari volumus , ut rite , ſi quidem ſit legitima , approbari poſſit . Ceteris vero , quibus conceſſum ex jure non eſt , ut Comitiis interſint , vel quibus ad illa adire non eſt neceſſe, quæ tamen neceſſitas ante a Nobis probanda erit , acceſſum , aditumque ad Urbem , ea prorſus ratione , qua legibus Ordinis ſancitum eſt , jubemus eſſe interdictum. Quod ſiqua Comitiis ſignificanda cenſuerint , fas illis erit ea litteris tradere , propriæque Provinciæ Definitoribus commendare , ut de iis quod ex uſu fuerit a Patribus conſtituatur . Quæ vero nomine Provinciarum Definitores pro, oſuerint , petierintque , ea auctoritate , ſignoque Provinciæ firmata exhibeantur.

Provinciarum autem, Congregationumque Præſidibus mandamus, atque præcipimus , ut in ſingulis Cœnobiis , Monaſteriiſque ex habeantur preces, quæ legibus noſtris cauſa Capituli Generalis præſcriptæ ſunt , quibus a D. O. M. ceteri Ordinis homines proficiſcentibus ad Magiſtrum eligendum, ſalutem , incolumitatem , reditum , cæleſteque imprimis auxilium implorent , cujus ope omnium eligentium animi in id conſentiant , & connitantur , ut digniorem , publicæque felicitati utiliorem virum Ordini univerſo præficiant.

Jam vero, dilectiſſimi, cum ad Comitia e regionibus tam magnis intervallis locorum disjunctis vocati ſitis , probe quidem noſtis , quam magnum ſit , atque grave negotium , quod eſtis procuraturi . Etenim cum veſtri juris, poteſtatiſque ſit, ut Magiſtrum dicatis, qui totam quam latiſſime patet Prædicatorum Rempublicam regat , atque adminiſtret , id curis , conſiliiſque veſtris commiſſum eſſe perſpicitis, ex quo ſalus , dignitas , decuſque omnium noſtrum proficiſcatur . Itaque hæc prior , atque præcipua vobis cogitatio eſſe debet , ut quæ univerſa Prædicatorum Familia ſibi de vobis viris ſpectatiſſimis pollicetur , meritoque flagitat , gnaviter , ſtrenueque perficiatis. Quamobrem longum , laborioſumque iter ſuſcepturi ita animis vos comparate , ut poſtpoſitis , deſpectiſque rerum privatarum , caducarumque ſtudiis , in unam dumtaxat Ordinis toto pectore incumbatis felicitatem . Ipſum vobis Ordinem ante oculos conſtituite , quem intelligere debetis in vobis repoſitum eſſe ; cujuſque incolumitatem vobis quam vos metipſos decet eſſe cariorem. Cogitate etiam atque etiam non aliam ob cauſam vos Urbem petere, quam ut loco Dominici Sanctiſsimi Parentis, & Inſtitutoris veſtri, Ordini ab ipſo condito Magiſtrum , Præſulem , Parentem detis . Hoc ſi vobiſcum , ut par eſt, reputaveritis, religio, officium , pietas , quæ omnia apud vos plurimum valere ſcimus , ad id vos certe impellent , ut is vobis auctoribus Beatiſſimi Viri ſedem occupet, cui nihil potius, antiquiuſque ſit, quam ut D. O. M. ſummus tribuatur honos , animorum ſempiterna ſalus diligentiſsime curetur , Ordinis leges vigeant , virtutes omnes , eæque præſertim, quæ maxime in religioſos viros conveniunt , ſancte colantur , litteræ , bonæque artes amplificentur , quique , ut uno verbo ſingula complectamur , Familiæ noſtræ conditoris præclariſsima exempla cogitationibus , moribus, rebus geſtis, totaque vivendi ratione imitari conetur.

Hortatur etiam, id ut contendatis, Urbs ipſa, ad quam vobis ſupremum Præſidem conſtituturi acceditis : qua in Urbe veſtrum oculis , & confirmati Sedis Apoſtolicæ ſententia Ordinis , & Dominici laborum , munerum , virtutum , prodigiorumque monumenta objicientur . Revocabunt enim vobis hæc in memoriam egregia Parentis optimi , atque Sanctiſsimi erga vos meri-

ta ,

Digitized by Google